

librorum bonitatem desiderium mihi non movere non poterat utrumque codicem penitus cognoscendi. huic desiderio duobus annis ante insigni cura satis fecit me rogante Henricus Lebègue, iam ut tres codices optimi Parisini studio et assiduitate Parisinorum potissimum doctorum nobis reclusi sint. contulit autem Lebègue cum **P** codice epistulas ed. Haasianae 1—5 et 9—70, cum **b** ep. 1—70. eis igitur quarum varias lectiones iam Chatelainii vel Radermacheri diligentia cognitas habui (in primis 71—88) non neglectis integrum nunc et continuam utriusque codicis discrepantiam per octoginta octo epistulas adnotacioni inserui. nec sine emolumento, ut opinor. quocumque enim oculos miseris, commune vinculum, quo cum probatissimis illi colligantur codicibus, quasi manu prenditur. non modo **P** sed etiam **b**, quem undecimo demum saeculo adscribi modo monui, licet peculiarium vitiorum minime immunis sit, suis tamen etiam virtutibus nitet et, quod non tenuiter aestimes, peridoneus est ad minuendum eorum locorum numerum ubi in proecdosi recentiorum librorum testimonia (**s**) advocanda erant. de rebus orthographicis, ne quis nesciat, intra eam libri **b** particulam, cuius collationem soli debemus Chatelainio (ep. 71—88), ex silentio viri docti raro aliquid concludere ausus sum. haud pauca eorum, quae ex **P b** enotata vidimus collatoris diligentia, consulto me exclusisse diserte moneo. saepe primae manus scripturas (**P<sup>1</sup> b<sup>1</sup>**) attulisse contentus tacui futilles correctiones recentiore demum manu illatas tam in **P** quam in **b**. nec raro accedit in **b** ut librarius postquam aberrasse se animadvertisse, se ipse corrigeret. etiam has primae manus correctiones, quibus vix quicquam aliud quam librarii diligentiam demonstrare potuisse, plerumque praetermisisti. nec impetravi a me, ut quisquiliis talibus ex **b** adnotandis spatiū impenderem quales sunt ep. 24, 3 *dampnens* ib. 4 *dampnationem* ib. 5 *oste* (sic **b<sup>1</sup>**) pro *hoste* ib. 6 *capud* ib. 7 *pertinacia* ib. 9 *maxime* (pro *-me*) ib. *inperator* ib. 10 *affrica* aliae, harumque similes commemorare supersedi etiam ex **P**.

Sed satis de Parisinis. subsequatur nunc codex Laurentianus plut. LXXVI 40 sexaginta quinque epistulas conti-